DISSERTATIO
DE EO
QVOD CIRCA CVRAM PAVPERVM GENERATIM OBSERVANDVM EST

QVAM
INCLYTI PHILOSOPHORVM ORDINIS CONSENSV
IN
ALMA GEORGIA AVGVSTA
A. O. R. S. CIↃIↃCC XXXXIX.
A. D. IV. OCTOBRIS
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIVNT

PRAESES
M. IOANNES PETRVS MILLER,

ET
RESPONDENS
DIETERICVS HENRICVS BLVHME,
HAMBVRGENSIS
SANCTIORVM LITTERARVM CVLTOR.

GOETTINGAE TYPIS HAGERI.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30381691

יהוה

Q. D. B. V.

DISSERTATIO
DE EO, QVOD CIRCA CVRAM PAVPERVM GENERATIM OBSERVANDVM EST.

Praefatio.

Id, quod maxime ſibi laúdandum quin imitandum cenſuit perfidus ille Chriſtiani nominis hoſtis Iulianus Imperator, ſummum illud ſcilicet chriſtianorum erga miſeros quoscunque ſtudium, hoc noſtra & patrum memoria permultis, in Anglia praeſertim, ita diſplicuiſſe nouimus, nulli vt labori pepercerint, quo illuſtri hoc ſuo ornamento eccleſiam priuarent, atque ſanctum illud calamitatis aſylum adflictis occluderent. Ita ſcilicet eos ſtatuere decet, qui naturam ipſa natura adiuturi, atque omnia ad natiuam ſimplicitatem dicam an miſe-

riam

riam redacturi, nulla a seruatore humani generis auxilia desiderant. At vt improbum hocce consilium ipsa pietatis in hominum societatem specie quadam commendarent, inter alia, nescio quae vitia, inertiam benignitate aliena excitari ac tantum non ali, satis grauiter monent. Nostris vero hominibus, iis scilicet, qui strenue saepius pro gloria CHRISTI dimicare videri volunt, non desunt rationes, quibus malignam suam, vt neruose ait Fabius, clementiam, multa cum arte ab omni crimine liberent. Bonos denique atque sapientes non pauca in ea pauperum cura, quae multis in locis adhibetur, optimo haud dubie animo, desiderare, notum est. Atque haec fere fuerunt, quae hanc de re eleemosynaria succinctam tractationem suaserunt, cuiusque partem priorem publico nunc examini subiicimus. Altera se illi mox sociam, si DEVS fauerit, adiunget, modo si haud prorsus male fratrem acceptum fuisse comperietur. In eo autem toti hic erimus, partim vt euincamus, bene ordinatam egenorum curam, non modo ex ipsius sanae rationis principiis prono alueo fluere, sed multo magis a sanctissima seruatoris disciplina praecipi, sapientissimisque legibus definiri; partim denique, vt exemplum veteris ecclesiae iis proponamus, qui, qua ratione omnis haec cura ex natura rei ac religionis instituenda sit, distinctius cognoscere cupiunt. Bono consilio, quod vere dicere possumus, maiores nostris vires optassemus; at satis nos feciisse iustis atque aequis arbitris confidimus, si quod potuimus, summa fide & contentione effecimus.

§. I.

Atque hic quidem nobis, qui in liberalitate aliorum veluti arcem quamdam pauperibus exſtruere volumus, primum de iaciendis fundamentis ipſius cogitandum eſt. Quare, quae ſint naturae principia beneficientiae huius accurate definiemus. Iſtud autem inter omnes conſtat, cum crearet praepotens Numen vniuerſum terrarum orbem cum illud voluiſſe maxime, vt conſpiciendam illuſtri opere excellentem ſuam naturam praeberet; tum vero & hoc, vt aliquam ſuae felicitatis partem cum aliis communicaret naturis. Da vero terrae, vt nunc eſt, noſtrae, praeter bruta animantia, incolas nobilioris generis nullos; bone DEVS, quantam rerum omnium converſionem alterum mox ſaeculum viſurum fuiſſet? Tanta igitur ſapientia nihil dignius cogitari poteſt, quam vt hominem crearet, qui mentem cum corpore adeptus, ſollerti cultura terram hanc omnem, non ad alendum modo aptiorem redderet, ſed & ad delectandum quaſi magis accommodatiorem.

§. II.

Ex quibus illud iam adparet, *voluiſſe* ſupremum terrarum orbis dominum, *vt homo opibus magnifici huius operis legitime frueretur*. Hocce vero ius vniuerſorum hominum ex mente ipſius DEI eſſe, ex his colligimus, α) quia omnes homines eamdem naturam adepti ſunt, β) neceſſitatibus communis naturae, totus terrae noſtrae habitus reſpondeat, & γ) nulla praegnans adſit ratio, quae impediat, quo minus mortalium quisque aequam illius partem iure quodam ſuo ſibi tribuat. Accedit ad haec δ) expreſſa diuinae voluntatis reuelatio. Gen. I, 28. 29. 30. IX, 1. ſqq.

§. III.

Neque' id diu fugiebat homines, omnibus almae & communis matris sinum libere patere. Nouae enim familiae maiorem semper & a patrio solo remotiorem terrae partem occupabant. Dein vero natiua illa simplicitate non contenti, amplius mortales, commodius ex consociatione tot ingeniorum & diuersarum artium vitae genus sperabant, ex qua atque aliis fortasse caussis societates illae maiores natae sensimque firmatae sunt. Quibus semel stabilitis necesse fuit, vt ea, quae *dominii & proprietatis* vocant, iura, orta fuerint. Quae demumcumque illorum corrobandorum vel caussae fuerint vel etiam modi, hac certe lege, hoc omne, quidquid est iuris sancitum fuisse certum est, *vt in vltima necessitate quicumque mortalium pristina sua in terrae fruges potestate recuperata licite illis frui possit.* Nihil enim quod a iustitia & humanitate vel latum vnguem recederet ab hominibus constitui potuit, neque quod DEVS ipse homini indulsit beneficium, ab homine non sine magna & graui iniuria eripi ei potest (§. 2.). Vereque dictum est a SENECA: *Necessitatem magnum esse humanae imbecillitatis patrocinium & omnem legem frangere.* Controu. L. IV. 27. Haec enim ita saepe in rationem vertitur necessitas, vt, quod furtum atque caedes alio tempore vocatur, licitae actionis nomine veniat, atque omni prorsus culpa vacet. *

* Conferendi hic sunt CIC. off. L. I. c. IV. cum not. Rachelii. H. GROTIVS de I. B. & P. L. II. c. II. PVFENDORF I. N. & G. L. IV. c. IV. edit. poster. Barbeyr. WALCHIVS in Lex. Phil. sub voc. Eigenthums-Recht p. 672. In qua caussae nostrae arce parum HOBBESII de Ciue c. I. §. 7. emissa tela horremus.

§. IV.

Noua tamen haec vitae humanae scena his *diuitum*, illis *pauperum* personas impossuit; quod quidem *discrimen funesto*

humanae

humanae felicitatis fato natum fuisse quo minus statuamus, vna plures rationes impediunt. Primum enim illud ad ipsum immortalem animum omnino non pertinet, sed quod caducum in nobis est, id tantum attingit; *dein* vero vtriusque sortis hominum desideria conuictum illum commodiorem, quin summe necessarium reddunt, & variis *praeterea* vel ingenii vel animi ornamentis caruisset mortalium genus, nisi ipsa mordens intus fames artium variarum inuentrix euasisset, iacens vbique pauper elatum super humanas res animum ostendisset; diuitis vero generosa illa mens aliorum magis felicitatis quam augendarum opum suarum cupida ex beneficiis ipsius effulsisset. * Quae atque alia si quis iustis ponderibus examinauerit, decernet, DEVM O. M. finibus suis omnino non excidisse, cum non aequalem omnibus fortunarum partem tribui permiserit. Quid? quod quam illustre hoc prouidentiae diuinae sit testimonium, tum maxime perspicies, si tuo tibi animo duas ciuitates, hanc quidem ex diuitibus, illam vero ex pauperibus compositam, quantacumque arte poteris, fingas. **

* Inter splendida illa veterum philosophorum peccata illud quoque referendum est, quod nonnulli eorum, maxime Graecorum ac nominatim Cynicorum rerum omnium inopiae nescio quam ad philosophandum vim inesse putarint. At emicans illud per pannos Antisthenis emendicatae gloriolae studium probe perspexit praeceptor illius SOCRATES v. LAERTIVM L. IV. S. 8. En Philosophi opes in compendio:

Pera, polenta, tribon, baculus, scyphus, arcta supellex
Ista fuit Cynici.

conf. Ven. IAC. BRVCKERI Hist. Phil. Per. II. P. I. L. I. c. II. S. VI. p. 499. Fuerunt praeter hos bene multi veterum, quibus philosophiae & aliarum artium magistra habita paupertas fuit. Audiamus omnium ore loquentem SENECAM Ep. XVII. *multis ad philosophandum obstitere diuitiae: paupertas expedita & secura est. Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi simili*

similis: non potest studium salutare fieri sine frugalitatis cura: frugalitas autem paupertas voluntaria est. Vellem, inter ipsos sanioris disciplinae professores inde a Saeculo a C. N. II. non fuissent vtriusque sexus homines, qui sapientum hanc stultitiam imitati Ascetae, Σπουδαῖοι & Philosophi magno suo gaudio appellati fuerunt. v. CLAVDII SALMASII *Comment. in Tertull. de Pallio* p. 7. 8. sq. At bono humanae scientiae illi, qui recentiori aetate philosophiae operam dederunt, eo ipso nomine maiorem sapientiae laudem nacti fuerunt, quod, deuicto feliciter hoc veterum errore, ipsa vitae elegantia sapientiae suae magnum decus attulerint & maius in dies adferre cernantur.

** Constans enim omnium temporum experientia docuit, eas ciuitates, quae opibus maxime abundant, abundare etiam omni fere malorum genere, vt ex aduersa parte etiam eae, quarum maxima pars fame extabescit, variis humanae mentis atque vitae morbis premuntur. Testis illius quidem periculi, quod ad opibus imminet nimiis humanae societati, ROMA, illud totius olim habitatae terrae compendium esto. De hac autem LIVIVS: *quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat: nuper diuitiae auaritiam & abundantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundt perdendique omnia inuexere*, adde SALLVST. Bell. Catil. in praef.

§. V.

Id si cogites maximis efferre laudibus IESV CHRISTI *sapientiam* debebis, *qui in sanctiore sua ciuitate hoc quidquid est fortunae discriminis* non sustulit penitus, sed *aequissimis* tantum ferendis *legibus* ita *temperauit*, vt nec bene fortunatus sine liberalitate in egentes beatus, nec ipse inops miser in hoc vitae theatro haberi debeat. * E contrario vero ii in insigni errore versantur omnes, qui teneram DOMINI nostri familiam hominum Iro pauperiorum & proletariorum fuisse confluxum nescio quo vel opinionis errore vel pessimi in sacra nostra animi audacia contendunt. At vero multos post Iulianum eamdem cantilenam occiniisse christianis notum est. Hi si meminerint, multa a CHRISTO ac legatis ipsius diuitibus de opti-

mo fortunarum vsu data esse praecepta, & si ipsi sibi constarent, diuites in ea republica plures fuisse non negarent, cuius erga pauperes liberalitatem allexisse plurimos aiunt, quo nomen inter ciues ipsius profiterentur, atque in benignitate christianorum praesidia illius vitae quaererent, quam noui hi milites, quandocunque id ducis sui gloria requireret, & vel crudelissimis cruciatibus auferri sibi laeto animo passuros esse, sacramento se obstringebant.

* Sunt, qui imaginationis suae liberalitate ex stabilienda communione bonorum nescio quas coelestis vitae delicias terris promittant, Ecclesiae Hierosolymitanae exemplum & felicitatem testati. Sed evertit penitus communem antea hunc errorem Ill. MOSHEMII perspicacia ac eruditio in *Cogitat. ad varios* N. F. *locos* L. I. c. VI. p. 114. add. eiusdem *Institut. Hist. Eccl. maiores Saec.* I. P. I. c. IV. §. 4. p. 104. sq. Nobis certum est, si haec de quibus deinceps acturi sumus, seruentur praecepta, nostras respublicas aeque pias immo multo feliciores esse Pythagoricis, Essenis, Paraguensibus atque recentioribus nonnullis. Vehementer iam summus ARISTOTELES, ob varia, quae eiusmodi bonorum communionem premunt, incommoda, Platonis institutum improbauit. Polit. L. II. c. V. Neque EPICVRVS Pythagorae auctoritate eo adduci potuit, vt gregi eam suo commendarit, nam *il trouvoit, qu' un tel etablissement marquoit de la defiance, & il aimoit mieux, que les choses fussent sur un pié, que chacun contribuât volontairement aux besoins des autres, quand cela etoit necessaire* quas rationes allegat BAELIVS in *Dict. Crit.* T. II. p. 365. add. CIC. de Fin. bon. & mal. L. I. c. XX. conf. tamen de communitate tali Aboriginum sub rege Saturno IVSTINVM L. XLIII. c. I.

§. VI.

Habemus igitur & in nostris rebuspublicis diuites, habemus pauperes. Quid illi his debeant, mox suo loco videbimus. At, ne quid temere dicamus, *ex eo, quod cuique facultatem ad vitam commode viuendam necesse est, ipsam paupertatem metiemur.* Apud Romanos quidem V aut VI Classes & centurias

P. R. pro cenſus ratione conſtitutas fuiſſe ſatis notum eſt. Harum vero I. erat ciuium ditiſſimorum. II. ditiorum. III. diuitum. IV. mediocrium. V. modicorum. VI. tenuiſſimorum, cuius infimi iterum ordinis ii erant, in quibus non pecuniae ſed capitis tantum ratio habita fuit. v. G. H. NIEVPOORT. Rit. Rom. p. 47. edit. Excell. GESNERI. Atque & nobis liceat hic paullulum cenſores bonorum ciuium noſtrorum agere. Sed cum hic maxime FACVLTATES in cenſum veniant, primum quid per eas intelligamus, dicemus. Sunt autem nobis *res eae omnes, quae efficiunt*, vel ſua natura, vel ſuo pretio aut quocunque alio modo *vt vitam noſtram non nutrire tantum ſed & cum quadam iucunditate & elegantia* vsque ad extremam aetatem *ducere queamus*. Ad hanc vero mortalis vitae felicitatem quaerendam aeterna nos lege eſſe obſtrictos cum facili negotio doceri queat, id vero ordine concinno iam factum ſit a Philoſopho (WOLF. P. I. *Iur. Nat.* §§. 176. 466. 471. 487. 491. & in compendio *in den Vern. Ged. von der Menſchen Thun und Laſſen* §. 12.) facile huic negotio ſuperſedere poterimus, ne in re aperta nimis longi euadamus. *Cui* ergo *multo plures, quam vitae conditio requirit*, diuina prouidentia *facultates* largita eſt, hunc populari ſermone DIVITEM, eum vero, *qui his facultatibus* vel omnino vel ex parte tantum *caret*, PAVPEREM appellare ſueuimus. Rediganus autem, vt omne hoc diſcrimen eo curatius definiatur, vitae noſtrae ſocios in tres ordines, in plures nolumus, ne nimis ſubtiles aliis videamur. Sit igitur *Prima* eorum, quorum in ciuitate habitus nihil fere niſi quod ad corpus ſuum alendum tegendumque facit, requirit: quales v. c. ſunt ruſtici & homines ex infima plebe omnes. His equidem lautiorem vitam omnino optarim, at ſatis beati, quibus diurno labore victus

quaeſi-

quaesitus sufficit. *Secunda* in eo hominum ordine cernitur, cui non solum iis opus est subsidiis, quibus vita humana vtcumque seruatur, sed illis etiam rebus, quae commodiorem, quin & elegantiorem eam reddere possunt. Cuius generis quin eorum vita esse debeat, qui litteris & bonis artibus vacant aut quodam in republica munere funguntur, nemo dubitabit. Restat *tertium* genus eorum, quorum magna esse debet ad salutem promouendam publicam auctoritas, qui vitae quodam splendore, vt nunc sunt tempora, atque adeo nec magnis opibus facile carere possunt.

§. VII.

Ex his autem haec sponte sua consequuntur. Summum inopiae gradum esse eum, *si quis iis careat facultatibus, quas ipsa natura & vita humana requirunt.* Id genus summae inopiae EGESTAS suo iure vocatur, & ex quo EGENI nominantur. Haec ipsa vero mendicitas duplex iterum est, vel *simplex* vel *composita*, vt, si quis non cum inopia tantum conflictetur, & qui comes illius plerumque est, morbo, sed si habeat etiam, quos nutrire debeat, liberos.

Alter paupertatis gradus est, quando eas quidem quis facultates possidet, *quibus vitam vtcumque nutrire, sed minus commode potest.* Et hos quidem PAVPERES vocabimus. *

* Facient ad haec illustranda loca veterum, quae accurate exhibet S. Ven. C. A. HEVMANN Dissert. Syll. T. I. P. II. notum est illud MARTIALIS; non est paupertas, Nestor, habere nihil.

§. IIX.

Quae vero sint illae *ad paupertatem viae* nullus fere ignorat. Illas tamen vt distinctius cognoscamus, triplex omnino illarum genus constituemus. I. sit illorum, qui α) vel

nihil prorſus facultatum ab aliis quocumque modo acceperint, vel β) quibus haec munera vel fortunae quodam caſu vel aliorum iniuria iterum erepta ſunt. Ipſi vero γ) aut aetatis aut ingenii aut corporis denique vitio quodam impediti facultates ſibi ſuisque proſpicere nequeunt. Miſerum hoc agmen ducant parentibus ſuis aut maritis orbata, aduerſaque cum valetudine conflictans calamitas cet. hos *pauperes ſine ſua culpa* vocabo.

II. Genus eorum eſto, א) qui partas iam copias aut ignauia aut quacumque alia animi leuitate dilabi patiuntur; ב) vel eas genio ſuo indulgendo profundunt ac dilapidant, neque ג) iis parandis vllam dare operam ſueuerunt. Haec quidem terrae pondera quodſi atro *pauperum ſua culpa* titulo notemus, de nulla illata ſibi iniuria conqueri poterunt.

III. In media miſeri agminis parte collocabimus eos, qui quidem non omni, at grauiori tamen tenuitatis ſuae culpa vacare dicendi ſunt. Hoc quidquid eſt mali illis haud raro accidit, qui in tuenda re ſua familiari vel negligentiae vel etiam immoderatae cuiusdam liberalitatis nomine taxandi ſunt. Atque hos quidem *pauperes aliqua ſua culpa* pace eorum ſalutabimus.

§. IX.

Parum vero aerumnoſam familiam iuuabit haec omnis diſputatio, niſi ei nunc *aliorum beneficentiam*, veluti moleſtae viae comitem adiungamus & alterum mali medicum. Ex quo enim tempore

Communemque prius ceu lumina ſolis & auras
Cautus humum longo ſignauit limine menſor

calamitoſae genti, quam tamen diſputando ſolari bene cupimus, in tanta, qua orbis noſter ornatus eſt, rerum omnium

mnium copia, haud secus atque nauigantibus periculose siti in ipso mari, misere pereundum esset, nisi supremus terrarum dominus opibus alios cumulauerit, quibus in nutriendis inopibus quasi suis manibus sapienter atque prouide vteretur. Quare vt hic de liberalitate in pauperes paullo curatius, at *hoc quidem loco* GENERATIM *tantum*, agamus, nostrarum esse partium duximus.

§. X.

FINIS *est id, quod rationem sufficientem in se continet, quare intelligens quaedam natura* A, *rem extra se positam* B, *non modo produxerit, sed* VARIIS *eam etiam rebus instruxerit*, quae efficiunt, vt B sit B tantum, & non aliud quid C.

§. XI.

Conuertamus haec illico in vsum nostrum. HOMO *ea est natura, quae coniunctam cum corpore suo animam*, rationis participem *nacta est*. Hebes sit oportet oculorum acies illi, qui ista *varia*, quae in nobis insunt, non facile creuerit. Sunt autem, nisi ipse caecutio 1) Anima, 2) corpus affabre formatum, 3) Nexus inter hoc vtrumque, 4) viuimus, 5) res distincte cognoscimus, 6) appetimus, declinamus alia, secundam distinctam cognitionem, 7) voluptatem e sensu boni, aegritudinem contra ex sensu imperfectionis percipimus, 8) corpus denique nostrum, si modo sanum sit, promte mentis imperata exsequitur, & quam iucunda vita haec, vtvt caduca, sit, summa suauitate experitur. *En, quot & quanta in vno homuncione varia!*

§. XII.

DEVS O. M. creauit hominem, atque variis illis, quorum breuem indicem (§. 11.) exhibuimus, dotibus donauit. Ille vero cum infinita prorsus gaudeat & sapientia & bonitate, necesse est, vt eum ob finem excellentem hanc naturam fabricatus fuerit, quo melior nullus nec esse nec fingi cogitatione potest. Optimus autem hicce *finis* est, *cum gloria sui ipsius, tum hominis*, quem ita mirifice exornauit, *felicitas*. Eumdemque huncce finem condendae totius rerum vniuersitatis auctorem numini ipsius fuisse, tam certum est, vt nemo facile hac de re vel paullulum addubitare iure queat.

§. XIII.

PERFECTIO homini tum demum recte tribuitur, *quodsi varia illa, quae in eo reperiuntur* (§. 11.) *de fine illius obtinendo* (§. 12.) amice *inter se consentiant;* IMPERFECTIO contra, si minus. Cum homo sit natura, intelligentia & libertate donata, ipse actionibus suis illud efficere potest, vt quae varia insunt ei, ad sui perfectionem faciant. *Illud* omne, *quod ad perficiendum hominem valet*, dicitur BONVM; quod vero in culpa est, quod imperfectior euadit homo, MALVM. Quaedam vero BONA magis nobis liberum est vt nobis acquiramus, & e contrario sunt & mala, quae multo liberius quam alia declinare possumus. Illa BONA & MALA, quae propius a libertate nostra pendent, vocantur MORALIA; haec vero quae minus, PHYSICA, strictius quidem sumta hac voce.

§. XIV.

Ea nostri *perfectio*, *cuius nos participes reddunt bona* quae vocauimus *moralia*, (§. 13.) dicitur BEATITAS: illi autem,

quae

quae ex bonis physicis oritur, PROSPERITATIS nomen inditum est. *Ex vtroque* hoc parente *nascitur* FELICITAS hominis. Contra vero ea *imperfectio*, *quae gignitur ex malis moralibus* (§. eod.) dicitur MISERIA MORALIS, *quae* vero *ex physicis*, PHYSICA MISERIA.

§. XV.

GLORIA DEI, i. e. *complexus perfectionum diuinarum, amplificatur felicitate hominum.* Cum hanc igitur DEVS velit, Gloriam quoque sui ipsius finem creati hominis esse, iure meritoque defenditur.

§. XVI.

Quum DEVS O. M. velit, vt omnes homines felices reddantur (§. 12.) id autem homo actionibus suis efficere possit (§. 13.), necesse est, vt ipsum summi rectoris & domini numen illi indicet, qua ratione formari actiones illius debeant, vt *bonae* euadant (§. 13.). *Norma* vero *actionum* illa hominis *per sanam rationem* cuicunque *manifestata* dicitur LEX NATVRAE, & sensu id quidem latissimo. ACTIO autem, *quae cum regula hac conuenit*, BONA dicitur, *quae* vero *cunque discrepat ab illa*, MALAE ACTIONIS seu peccati atro nomine notatur.

§. XVII.

Quum finis sit legis naturae, vt doceat homines, qua ratione dirigere actiones suas illos oporteat, vt iis gloriam DEI amplificent, ac seipsos felices reddant (§. 16.), requiritur:

I.) vt praecipiat omnibus α) perficiendam esse intelligendi volendique vim suam, β) tuendam esse vitam ac corporis in-

columitatem & γ) vt ſuauiter & eleganter eam quisque agat, quantum poteſt, enitatur.

II.) neceſſe eſt, vt vnus mortalium quisque actiones ſuas ad normam hancce ſummo ſtudio exigat atque componat.

§. IIXX.

Egenus eſt homo, cui ea deſunt, quae ad vitam & ſanitatem corporis conſeruandam neceſſario requiruntur (§. 7.). Haec vero ſi deficiant hominem, diuturnam tandem famem, variosque morbos mors ipſa excipit, phyſicorum malorum omnium maximum (§. 11, 13.). Miſeria ergo hac ſua rebus omnibus egens impeditur, quo minus felicem ſe reddere & gloriam DEI prouehere in hac vita amplius queat.

§. XIX.

BENEFICIVM eſt *omne bonum, quo alius nos* ſine noſtro merito *ornat.* Quum igitur beneficium bonum quoddam ſit, tendere ad noſtri perfectionem atque adeo ad ipſam felicitatem noſtram debet (§§. 13, 14.).

§. XX.

ELEEMOSYNA eſt *beneficium, quo gratis inopem afficimus.*

* Digna eſt omnino filia, quae almae matris, miſericordiae nomen apud GRAECOS, haud infelices illos ὀνοματοθέτας, obtinuerit. In HEBRAEORVM vero libris nihil eſt frequentius, quam vt צדקה, *iuſtitia* appelletur; id vero quanam de cauſſa factum ſit, grammatici certant & adhuc ſub iudice lis eſt. Nomina quidem virtutum Hebraeis ob ſororium illarum vinculum haud raro inter ſe permutari, ſatis vel iis notum eſt, qui vix ſacris his initiati ſunt. Atque ſic pro more gentis iuſtitia id vocatur, quod benignitas & miſericordia appellandum fuiſſet. conf. Pſ. XXII.

Pſ. XXII. 32. XXXVI. 7. Ieſ. V. 16. Matth. I. 19. Sunt, qui eleemoſynas ideo hoc nomine ornatas aiant, quod ex media laude iuſtitiae & aequitatis petitae ſint. Sunt & alii rurſus, quibus cum LIGTFOOTO veriſimilius videtur, ideo libenter quaeſtuoſam atque faſtuoſam gentem voce hac vſam fuiſſe, quo maiorem ſuam ſuae apud DEVM iuſtificationis, vt ita loquar, ſpem indicaret. Id tamen de omnibus, qui vſurpabant vocem ſatis tritam ſermonibus, caue accipias. v. Ven. DEYLINGII Obſſ. S. P. III. p. 154. Id praeterea multis iam obſeruatum eſt, LXX illos, quos vocant, Interpretes ad minimum decies, loco ἐλεημοσύνης, δικαιοσύνην poſuiſſe. v. MILLIVM ad Matth. VI. 1. D. PAVLLO vox κοινωνία placuit Rom. XV. 26. 2. Cor. IIX 4. Hebr. XIII. 16. (adi SVIZERI *Theſaurum Eccl.*) atque 2. Cor. IX. 5. Εὐλογία. cet. MVHAMMEDANIS *Zacat* ſtipem, quae in pauperes benigne erogatur, vocari, auctor eſt POCOCKIVS *in ſpecim. Hiſt. Arab.* p. 307, cuius nominis originem quidam hanc eſſe aiunt, quod *opes* illius, qui miſericordiae adfectu partem earum miſeris tribuit, *adaugeat*. Sunt tamen alii, quibus a *mundando* nomen Arabicum deriuatum eſt, propterea quod & opes & animum ab iniuſtitiae & auaritiae ſordibus purget eleemoſyna. vid. Ven. IAC. BRVCKERI *Hiſt. Crit. Philoſ. Per.* II. L. III. c. II. §. IV. p. 203.

§. XXI.

Strictius quidem quodſi haec vox *Eleemoſyna* accipiatur, (eam vero ita accipi populari ſermone in vulgus notum eſt,) *pecuniam, qua donatur indigens*, ſignificare ſueuit. Quid vero obſtet, quominus *latiorem* ipſi *poteſtatem* ſubiiciamus, equidem non video. Quum enim eleemoſyna in largiendo bono quodam conſiſtat, bona autem non vnius ſint generis (§. 13.) atque eleemoſynae perfectio alterius propoſita ſit, (§. 14.) hominis vero & anima & corpus ac tota vita varie perfici queant (§. 11.) conſequitur exinde omne beneficium, quod inopi praeſtatur gratis, ſiue nummulis id fiat, ſiue labore noſtro, praeſtantiſſimo eleemoſynarum nomine inſigniri poſſe, ac ornari debere.

debere. Idque iam SCAPVLAE seruatum est in Lexico Gr. p. m. 473. a.

> Laetamur, ipsum illud os Romanae eloquentiae TVLLIVM pro nobis hic verba iam dudum fecisse: aduerte lector, te paucis docebit: *Aut opera benigne sit indigentibus*, inquit, *aut pecunia. Facilior est haec posterior, locupleti praesertim: sed illa lautior ac splendidior, & viro forti claroque dignior. - - - altera ex arca, altera ex virtute depromitur. - - - qui opera, id est, virtute & industria benefici & liberales erunt, primum, quo pluribus profuerint, eo plures ad benigne faciendum adiutores habebunt. Deinde consuetudine beneficentiae paratiores erunt, & tamquam exercitatiores ad bene de multis promerendum.* rel. CICERO de Officiis L. II. c. XV. adde SENECAM de Benef. L. I. c. XI.

> Quae cum ita sint, nemo cordatiorum vitio nobis verterit, si eleemosynas in ARGENTARIAS & NON ARGENTARIAS tribuamus. Quo facto portus quasi quidam aperitur ampliſſimus, quo tuti confugiant quicunque vario calamitatum genere in turbulento hoc mari iactantur; at occluditur simul eorum vel ignauiae vel cuicunque alii animi durioris vitio, qui, cum opibus iuuare miseros nequeant, opera sua gratis & beneuole locanda nolunt.

§. XXII.

Qui ergo indigenti eleemosynam largitur, eam solo promouendae perfectionis, atque adeo felicitatis alienae studio incitatus conferre in eum debet.

§. XXIII.

EGENO *danda est eleemosyna.* Nam cum egenus homo sit, atque adeo ad suammet felicitatem & gloriam DEI pro virili sua parte amplificandam natus (§. 12.); ille vero miseria domestica impediatur, quominus optimus hicce finis per eum impetretur (§§. 13. 14.), necesse est, vt alii eum in hoc DEI fine consequendo beneficiis suis adiuuent, seu si mauis, vt eleemosynam ipsi dent (§§. 19. 20. 22.).

§. XXIV.

Qui itaque egeno eleemosynam denegat, peccat. Agit enim contra aeternam naturae legem (§. 16.) adeoque in ipsam Numinis maiestatem est iniurius.

Supra vero, quantum satis est, euicimus, dominium rerum non impedire egenum, quo minus illis rebus, quas nutriendorum hominum caussa terra producit, etsi sua non sint ciuiliter, licite omnino & suo iure fruatur (§. 3.).

§. XXV.

Pauperi quidem necessaria ad vitam mortalem sufficiunt, at caret tamen iis, quibus commodior reddatur atque iucundior (§. 9.) caret ergo etiam bonis bene multis, si vel maxime physicis, quare nec prosperis rebus fruitur, quae tamen pars sunt felicitatis (§. 14.). Hanc cum DEVS O. M. velit (§. 12.), velle etiam eum consequitur, vt, qui opibus abundant, pauperi benigne suppeditent vnde prospere beateque viuat. *Deinde* & illud liquet, tanto illustriorem fieri gloriam DEI, quanto magis completa est humanij felicitas generis, cuius non mediocrem partem pauperes, vt nunc sunt tempora, constituunt. At cordi est DEO sanctissimi NVMINIS sui gloria, ergo & ea ipsi in votis sint oportet, per quae quasi per quosdam radios maiestatis suae splendor quaquauersum diffundatur.

§. XXVI.

At satis superque fortasse iam dictum nobis fuisse de obligatione ad dandas eleemosynas generosis mentibus videbitur, quibus vita & felicitate sociorum nihil prius est nihilque antiquius. Hi scilicet vel soli digni sunt, qui *ciuitatis DEI* illius quidem vastissimae *ciues* habeantur. Est enim salus & felicitas omnium *suprema* & sanctissima illius *lex*, omnesque, qui

nobiliorem illius partem conſtituunt, ſpiritus vnitis quaſi viribus ad omne bonum atque perfectum feruntur. Atque in hac etiam republica ad vnum omnes vere beati, & ſingulorum ſecundus ſine vlla offenſione curſus eſſet futurus, modo ad diuini regis illius exemplum totus orbis componeretur. Ex omni parte ea eluceret perfectio, quae ceteris ex rebus a praepotente illius rectore creatis, benefica exſplendeſcit luce. Exularent ex humana ſocietate profuga omnis fere miſeria, omnes querimoniae, gaudio vero atque grati animi vocibus perſonarent omnia. At ſint, per me licet, haec dicta ſubtilius quam verius, illud certe maneat ac fixum ſit oportet, *oppoſitum* beneficentiae atque adeo mutuo omnium erga omnes *amori vitium* ipſa fundamenta humanae ſocietatis ſubruere. In ea enim quodſi vnus ſociorum quisque, omnia ad ſua commoda tantum referret, nec vllam publicae ſalutis rationem haberet; (nititur autem ſalus publica felicitate ciuium ſingulorum,) tum vere illud mali rebus noſtris publicis accideret, quod ei corpori, cuius membra mutua ſibi ſua miniſteria perfide quam ſtulte non minus, negare vellent. Breui ſcilicet nullae eſſent futurae.

§. XXVII.

Verum quidem eſt, Egeſtatem atque paupertatem mala tantum eſſe phyſica (§. 13.); at rerum tamen humanarum prorſus expers ſit neceſſe eſt, qui vrgentem domi neceſſitatem variarum rerum, quae cum auctoribus ſuis tum ſaepe humanae ſocietati pernicioſae & valde funeſtae acciderunt, magiſtram haud raro eſſe, ignoret. Ne dicam, excellentiſſima perſaepe ingenia a rebus magnis totique hominum vniuerſitati vtilibus abſtrahi, neruo rerum gerendarum deſtituta plerumque ſolere, ſecundum illud poetae;

haud

haud facile emergunt, quorum conatibus obstat res angusta domi.

§. XXVIII.

Neque omni sua laude priuandum est STOICORVM illud, quod *a naturali hominum cognatione* omnium desumsisse leguntur argumentum. Licet in eo a veri regia via aberraverit Stoa, quod animas nostras quasi quasdam particulas ex mente diuina decerptas iucundo & pulcro errore opinionis putarit, * Verius & felicius noster sapiens nostros communes vidit natales: ** *si ab vno homine, quem DEVS finxit, omnes orimur; certe consanguinei sumus.* Vnus idemque pater familias, fratres vero homines omnes. His vero nihil dignius est tenerrimo illo, qui a fratum mutua & singulari prorsus caritate *fraterni* nomen accepit, amore.

* ANTONINVS *de rebus suis* L. II. §. 1. L. III. §. 9. L. IX. §. 27. ARRIANVS L. I. c. IX. L. III. c. XXIV.

** LACTANTIVS *Instit. diuin.* L. VI. c. X.

§. XXIX.

Itaque quocunque locorum oculos conuerteris, summa claritate illud quod quaerimus emicare videbis, *dandas esse inopi eleemosynas.* Immo haec ipsa omnium fere, qua homines sunt, vna & consentiens vox est. Cui quidem cum multa alia tum quoque magno sunt indicio commune illud in pectus silice durius odium, * & maximae quaeque laudes, quibus in coelum vsque ii efferuntur omnes, qui omnem vitae suae fructum ac purissimam voluptatem in felicitate aliena augenda ponunt.

* Malumus his SAVRINI, quam nostris verbis vti, dans son sermon sur l'Aumone T. I. p. 392. *En bonne politique, il faudroit proceder rigoureusement contre un avare; il faudroit le loger*

ger avec des animaux d'une autre espéce, & lui refuſer les douceurs, qui naiſſent de cet aſſemblage d'hommes, puisqu'il refuſe d'y contribuër, & qu'il ne veut vivre que pour lui-même. Au defaut des Loix humaines, il y a je ne ſçai, quelle malediction attachée à ceux qui violent la charité. On les regarde avec horreur. On s'entretient de leur dureté. On s'en avertit mutuellement, comme pour ſe precautionner contre des gens qui ont des principes ſi odieux. & paucis interiectis, pag. 393. *On marque d'une note d'infamie une perſonne qui manque de charité, & l'on ſe dit les uns aux autres; voyez, voyez ce vieillard, qui poſſéde lui ſeul plus de biens que dix familles entieres; voyez comme il entaſſe avec auidité monceau ſur monceau, & comme il refuſe cruellement aux pauvres quelque portion de ces biens, que la mort va lui enlever. Voilà cette femme ſi ſuperbe & ſi orgueilleuſe, qui étale avec tant de faſte ſa vanité aux yeux de tout un grand peuple, voyez comme elle fait expier aux pauvres les crimes de ſon orgueil, & comment elle retranche de leur ſubſtance de quoi fournir à ſa mondanité.*

§. XXX.

Ac in ea etiam republica, cui ipſe DEVS, rex illius leges ſcripſit, pauperum cura nihil erat ſanctius. Ne enim ea, quibus inopes inter *Iſraelitas* liberaliter alerentur caſu quodam vmquam deficerent, lege cautum erat, vt quaedam ex alienis fructibus illorum quaſi bona reputarentur Leu. XIX. 9, XXIII. 22, Deut. XIV. 28, XXIV. 19; alia vero ita praecepta fuere, vt ratio tamen definita non fuerit diuinitus, Deut. XV. 7. 10. 11. Leu. XXV. 35: Hancque ipſam legem ita ſancte cuſtodiebant etiam poſt diuturnum ſuae gentis exſilium, Iudaei, dubitari vt vere queat, num vllum vmquam ſanctius ſeruatum ipſis fuerit diuinum praeceptum. *

* Poſt illud enim nota ſunt in gentis libris nomina eorum, quorum curae pauperes quaſi ſuis tutoribus mandati fuere, v. c. גבאים collectorum, פרנסים, qui collectas ſumma fide diſtribuebant eleemoſynas. vid. omnino IO. SELDENII I. N. & G. Ebr. L. VI. c. VI. p. 724. ſq. VITRINGA de *Synagoga vet.* L. II. c. IIX. p. 542. ſq. ex edit. Wollii. adde his inſtar omnium Ven. IO. GOTTLOB CARPZOVII Diſſert. *de Eleemoſynis Iudaeorum*,

Anno-

Annotationibus eruditissimis in Goodwini Mosen & Aaronem annexam §. XXII. p. 745. Ex fertilissimo campo vnum hoc decerpemus: Synedrium non solum modum huius beneficentiae habita facultatum ratione lege praescripsit, sed etiam *si quis fuerit, qui non volebat dare eleemosynas, vel minus dabat, quam par erat, caedebat eum verberibus rebellionis, donec dederit, quantum ab eo dandum esse iudicauerit.* teste MAIMONIDE c. IX. *Cod. Hilcoth Anjim.* Laudat, quod mireris, hanc seueritatem etiam post fata sua immortalis PVFENDORFIVS I. N. & G. L. II. c. VI. §. V. p. 328. *Vers. Gallicae.* Quid? quod ipse pauper pauperi dare tenebatur, teste *Iore Dea*, qua quidem, quae maior esse possit eleemosyna, ego quidem non video.

§. XXXI.

Et haec ipsa pauperum cura tanti MVHAMMEDI visa est, vt in gratiam illorum eas leges suis dederit, quae certe proficisci ab eo numquam potuissent, nisi vel sanae rationi vel religioni nostrae aliquem hic locum in animo reliquerit. *

* Leges hominis hac de re exhibet opus illud nitidissimis ornatum imaginibus, quod inscribitur *les Ceremonies & Coutumes religieuses de tous les Peuples du Monde* T. V. p. 143. Amstelodami 1737. in forma maiori editum, & inprimis si ipsum fontem adire lubet & licet *The Koran* by GEORGE SALE Londini 1734. the preliminary Discourse p. 109. & c. LVII. intitled IRON p. 437.

§. XXXII.

Vellem persuasissem omnibus ipsius sanae rationis, cuius quidem vox DEI vox rite habetur, principiis dandas esse indigentibus eleemosynas. Si qua vero restent adhuc, quas nesciam, latebrae, quibus turpis se occulat vel auaritia, vel si quid hoc est tetrius vitium, omne semel illi praecluſit refugium IESV CHRISTI *sapientia* & quae tota, quanta quanta est, ad humani generis salutem composita est, sanctissima illius disciplina. Huius enim si sancte seruarentur praecepta, breui euenturum esset, vt ne nomen quidem miseri inter nos inaudiretur, tantum abest vt

extabescens fame & moerore illius corpus & lacrimae magno rei christianae opprobrio amplius viderentur. Quo autem caelestis hicce doctor vitam hanc caelitum illi, pro suo in genus humanum studio, redderet

I. principem hanc nouae ciuitatis suae legem esse voluit; *omnes esse amandos & eo quidem amore, quo vnus nostrum quisque seipsum complectitur* Matth. XXII. 39. Luc. X, 29, 33, 37. Iac. II. 8. Qui autem se *amat*, felicitati suae omnem dat operam: quum igitur alios aeque atque nos ipsos amare debeamus, necesse est, vt eorum felicitas nobis aeque ac nostra curae cordique sit. Id autem, quo inopis felicitati consulitur dicitur eleemosyna, dare ergo eam cuicunque qui illa indiget, debemus. Matth. V. 42. Luc. XI. 41. Gal. VI. 9. 10. Hebr. XIII. 16.

II. Hoc ipsius rationis effatum ipse DEI filius confirmavit, *quidquid vis, vt faciant tibi alii, id ipse illis facito.* Matth. VII. 12. Tu vero, si miser, si egenus, si pauper esses, esse autem posses eandem naturam sortitus, quid fieri tibi ab aliis velles? dari eleemosynas. Da ergo, neque ratiocinare iniquius, donec pereat, quem seruare debueras, homo atque IESV CHRISTI sanguine redemtus.

III. *DEI nobis atque sui ipsius imitandum proposuit* exemplum, cuius imitatione nihil est homine dignius, nihil illustrius, nihil suauius, vtilius nihil. IMITARI autem *alterum*, quis quaeso praeter eum dicitur alius, quam *qui idem facit, quod alterum facere videt.* Indulgentissimus vero pater ac saluator noster omni beneficiorum genere felix mortalium genus reddere cupiunt, nos ergo, cum imitari eos, debeamus, nostrum erit quibuscunque beneficiis cumulare inopes.

pes. Hoc vero quid aliud quaeso est, quam eleemosynas liberali manu in eos conferre (§. 20.).

IV. Atque huic suo officio ne deessent vnquam CHRISTI discipuli, *aeterna* & omni voto maiora *bona iis* benignissime *promisit* GLORIOSISSIMVS SERVATOR, quicunque faciles precibus inopum aures praebituri & quacunque ratione onus eorum leuaturi essent. Matth. XXV. 34.

Relinquamus ea oratoribus sacris, quae homini christiano, si sapienter animo ipsius proponantur, misericordiam mouere possunt, argumenta. His enim armatus SAVRIN, ille ipse scilicet, qui plenus DEI hominumque amore orabat, praeclarissimam omnium victoriam de auditoribus reportabat, aureos torques, annulos & id genus alia. At nihil mihi crede ea oratione, qua fideles ad eleemosynas larga manu erogandas adhortabatur, fieri potest elegantius, & ad flectendos animos accommodatius. v. T. I. de ses *Sermons* p. 383. sq. Apponamus vnam & alteram ex his dapibus, vt reliquarum desiderium excitemus. Optime de nobis meritum Saluatorem & nunc quidem victorem pauperum manibus eleemosynas accipere his effert p. 405: *Exilé de sa Cour céleste dans la personne de ses Membres, abandonné de ses Sujets, couvert de haillons, logé dans les Hôpitaux, il vient éprouver ses véritables Sujets, il solicite leur compassion, il leur présente ses miseres, il leur dit en même tems, qu' elles ne doivent pas être éternelles, qui doit être retabli un jour, & qu' alors il recompensera leur soin par une felicité éternelle* Propositis iis, quae vincere animos optime possunt; haec addit: p. 410. *Est-ce pour vous porter à quelque acte héroique d' amour? Non - Il faut crier, il faut prêcher, pour obtenir de vous un peu de pain, quelques haillons, quelque petite portion de ces biens que vous donnez si libéralement au monde. Quels Chrêtiens êtes-vous, bon Dieu? Est-ce ici l' Egliſe? Prêchons-nous aux bourgeois des Cieux? Frappons nous à la porte de ces coeurs, qui croyent une vie éternelle? Mais comment avec de Sentiments si durs entreries-vous dans ce séjour? Iriez-vous rompre la communion des Saints? Iriez vous troubler les concerts des Anges? Et ne sentéz vous pas, que si vous ne* reuetez des entrailles *des charité, vous vous banniſez vous-mêmes d' un ſejour où tout reſpire la charité.* Cogit tandem omne argumentorum agmen hoc: p. 429. *Vous demanderez sans doute, comment*

subſt.

ſubſiſtent donc tous ces pauvres? Car il eſt très vray, qu'ils ſubſiſtent, & que perſonne ne meurt de faim. Comment ils ſubſiſtent? Pouvez-vous l'ignorer? Ils ſouffrent: ils pleurent: ils gemiſſent: Ils tombent de la faim dans la maladie. Les maladies augmentent leurs beſoins: leurs beſoins augmentent leurs maladies. Ils ſont la victime d'une mort d'autant plus cruelle, qu'elle eſt plus lente; & cette mort, cette mort crie vengeance au Ciel contre ceux qui leur ont fermé leurs entrailles.

§. XXXIII.

Atque ſummum miſerorum ſtudium ſuis a CHRISTO ſeuere iiunctum, ita numquam fere prorſus deſtituit CHRISTIANOS, maximo vt hoc ornamento & vere ſuo caruerit conſtanter CHRISTO ſacra respublica. Principum certe illius ciuium tantus in hoc ſtudio virtutis ſplendor eſt, vt ipſos inter iuratos nominis Chriſtiani hoſtes non admiratores modo ſed & imitatores inuenerit quam plurimos. * Quae tamen ipſa fuerit liberalitatis huius celebratiſſimae natura, de eo alio tempore, ſi DEO placuerit, pro inſtituti noſtri ratione breuiter exponemus.

* Sileant hic, noſtro bono, laudes domeſticae, audiamus IVLIANVM, quem ab omni partium ſtudio vel acerrimus iudex facile abſoluerit. *Turpe fuerit*, inquit, *ex Iudaeis quidem neminem mendicare; impios vero Galilaeos praeter ſuos pauperes etiam noſtros alere, noſtros autem mendicos noſtra ope ac ſubſidio deſtitutos videri* apud SOZOMENVM in *Hiſt. Eccl.* L. V. c. 16. Et in *fragmento orationis vel Epiſtolae*, in quo ſuperſtitionis ſuae ſocios ad imitationem chriſtianae erga miſeros beneficentiae adhortatur transfuga. *Dicam* inquit, *etſi praeter vulgarem opinionem loquar, etiam hoſtibus ipſis veſtes & alimenta largiri ſanctum eſſe; non enim moribus ſed* (τῷ γὰρ ἀνθρωπίνῳ) *humanitati tribuimus.* Teſtis ſat aequus ac eo infelicior interpres, quod eam ſuis humanitatem rapiat, quam nobis tribuit.

Scilicet non priuati ſolum priuatis benefaciebant, ſed & ſinguli coetus totis coetibus. EVSEB. H. E. L. IV. c. 23. Qua quidem re

re dici non poteſt, quam arcte tota IESV CHRISTI in his terris familia colligata fuerit. DIONYS. ALEX. L. IV. c. 7. Sapiens vero fratrum in ipſos hoſtes benignitas effecit, vt noua re incitati fictorum numinum cultores diſciplinae illius, quae mira efficeret in animo hominis, plenius cognoſcendae cupiditate incenſi fuerint, qua perſpecta adducti plerumque ſunt, vt nomen ſuum inter CHRISTI ciues adſcribi ſponte ſua paſſi fuerint. Vidit hoc, & cum intenſiſſimo dolore vidit IVLIANVS IMPERATOR, quare impurorum ſacrorum ſuorum antiſtites ſapere vt fratrum noſtrorum exemplo diſcerent in eo fragmento, cuius partem niox dedimus, ſeuere hortatus eſt. Adducerem alium teſtem, niſi laudis chriſtianae liberalitatis plena eſſent omnia, intelligo autem LVCIANVM *de morte Peregrini* T. III. opp. p. 334. ex edit. Reizii. Sed actum ageremus & ſpicas poſt meſſem legeremus, ſi alia adhuc quaedam adferendi animus eſſet poſt GOTTFR. ARNOLDVM in der erſten Liebe L. III. c. IX. p. 452. & LAVNOII *de Cura Eccleſiae pro miſeris & pauperibus* laborioſiſſimum opus, quod non ſolum ſeparatim, ſed & iunctim cum operibus T. II. P. II. p. 568. editum eſt. Cuius quidem moles beneficentiae inter Chriſtianos magnitudinem & copiam ſatis iam aperte indicat.

Quod vero ſigillatim ad *medium aeuum* attinet, in illo pietatis huius chriſtianae in pauperes ſpecimina veluti maxima eccleſiae ornamenta hinc & inde emicuiſſe, multis teſtatum facit rerum argumentis MVRATORIVS *Antiquit. Italiae medii aeui* T. III. Diſſ. XXXVII. p. 554. At quod non ſine dolore addere licet, ſuperſtitione multa iacebat hic obrutus ignis. Cleri enim ſacra auri fames ſancta laicorum ſimplicitate in excogitandis miris artibus ſupra quam dici poteſt abutebatur. Monachorum quidem veneration nullus fere modus erat; ſcilicet hi veri illi pauperes in evangelio: qui igitur facilius in caelum iter quaerebat, in monaſteriis opum deponebat onera & CHRISTVM, vt dicebatur, heredem ſcribebat. At caue tamen haec de omnibus dictum a nobis putes, euolue ſi placet A. MATTHAEI *Analecta vet. Aeui* I. p. 236. Faciles inprimis ſalutari huic conſilio aures praebuiſſe Galliarum reges, ex inſtituto probauit du PEYRAT dans ſes *Antiquités de la Chapelle du Roy de France.* p. 340. & inprimis p. 329 MATTHAEVS d. l. II. p. 749. Celebratiſſima tamen eſt inexhauſti vſus illa aurifodina, quam ignem purgatorium vocant, verius fortaſſe quam multi putaſſent. Hic vero fatuus ignis quominus euangelii luce exſtinguatur, vna plures ſagaciores cauſſam ſubeſſe

 aiunt.

aiunt. Dignus est liber, qui multa cum voluptate hac de re legatur *Superstitions anciens & modernes à* Amsterdam 1736. p. 255.

Nos vero laetemur ista saeculi nostri felicitate atque ornamentis. Sunt enim inter nos pietatis christianae antiquae illius erga afflictam IESV CHRISTI familiam illustrissima monumenta, quae inter suo iure eminent SERENISSIMI BRVNSVICENSIVM AC LVNEBVRGENSIVM DVCIS de omni pauperum cura sapientissimae leges, quam quidem vere christiani principis pietatem nulla vnquam aetas reticebit. Sed manum de tabula.

EMENDANDA.

p. 4. l. 10. leges, corroborandorum. p. 6. l. 16. ab p. 8, l. 26. voci *prima* addes *Classis*. p. 10. l. 5. ducat.